

QUAER. 3<sup>o</sup> *An liceat conficere statuas falsorum deorum?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> *Afirm.*, si hae non debeant adhiberi ad falsum cultum, sed ad ornamentum platearum, aedificiorum, etc.

*Resp.* 2<sup>o</sup> *Neg.* omnino, si sint pagano tradendae..., etc. — S. Lig. n. 69.

233. QAER. 4<sup>o</sup> *An liceat captivis christianis ex gravi metu remigare in tririmibus infidelium contra catholicos?*

*Resp.* *Afirm.*, nam non faciunt quid intrinsece malum, nec Christianis proxime perniciosum; aliunde ex gravissima causa ad remigandum impelluntur, ut patet. — S. Lig. n. 73. etc.

QUAER. 5<sup>o</sup> *An liceat aliquando pravis libris edendis cooperari?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> Generatim non videtur licitum esse immediate cooperari impressioni talium librorum, v. g. typos ordinare, chartam typis apponere, impressionem dirigere, etc..., quia hoc intrinsece quidpiam materialiter malum est. Attamen in casu gravissimi detrimenti ad breve tempus tale praestari posse indicat Laymann, *de Charitate*, c. 13. n. 4.

*Resp.* 2<sup>o</sup> Licet autem gravi de causa cooperari mediate, seu remote, v. gr. atramentum vel chartam praeparare aut libros impressos ordinare. — *Ita communiter.*

### III. Quoad mercatores.

254. **Regulae.** — *Prima.* Licet vendere res indifferentes, aut quae bonum usum facile habere possunt, si venditor nihil sciat de mala intentione emptoris, quia malum non est praesumendum.

*Secunda.* Non licet vendere res indifferentes, quando certo cognoscitur emptorem illis male usurum esse, nisi denegari absque gravi incommodo non possint.

*Tertia.* Non licet vendere res, quae ex institutione sua, vel usu sint destinatae ad malum, nisi in casu particulari constet abesse periculum abusus, vel nisi gravis et proportionata ratio excuset. — Vogler, n. 315..., etc.

**Resolves.** — 1<sup>o</sup> Licet artificibus vel mercatoribus vendere aleas, gladios, fucos..., etc., etsi plurimi his abutantur, quia haec non ordinantur per se ad peccatum, imo saepe bono usui inserviunt, nec simpliciter impediri possunt. — S. Lig. n. 71., et in Retr. n. 14.

2<sup>o</sup> Licet vendere ornamenta honesta puellae, quibus forte sit absurda, praesertim si ab aliis aequae emeret; secus tamen, si ipsi venditori

*haereticorum templa permittente legitimo magistratu, restaurare aut aedificare: de quibus videri potest Navarrus lib. 5. Consil. 4. De Iudaeis. Et hunc sequutus videtur S. Alphonsus (lib. 2.*

*n. 72.), sicut et Croix (lib. 2. n. 250.), cum Busebaum eandem ex Laymann doctrinam afferenti nullam adiciunt animadversionem. Cf. notam ad n. 192.*

constaret de abusu futuro, nisi alioqui notabile damnum pateretur (10). — S. Lig. n. 71. — Vide Sanchez, *de praeceptis Decalogi*, l. 1. c. 7. n. 12., ubi scite advertit, solutionem harum quaestionum ex consideratione multarum circumstantiarum pendere (11).

(10) Doctrina hisce verbis concepta prorsus singularis est, neque praesidium habet ex iis, quae S. Alph. disputat lib. 2. n. 47. (ad quem locum ipse S. Alphonsus remittit), neque verum est, ipsam tradi a Palao aut Suarez, qui pro ea solent allegari. Communis doctrina sic a Croix exponitur (lib. 2. n. 263.): *Non peccat, qui vendit ornamenta puellae, per illa solliciturae alios ad peccatum, quae ornamenta venderentur ab alio. Ita Sanchez, Navar., Azor, Bonac., Diana... Ratio est, partim quia illa venditio est quid indifferens et remote se habens ad peccatum; partim etiam quia si vendens peccaret, ideo esset, quia non impedit peccatum proximi; atqui, licet non venderet, non ideo impediret, alius enim esset, qui venderet. Ergo vendendo non peccat.* Confer quae disserit Sanchez ab A. quoque allegatus, cuius verba in Not. seq. afferuntur.

(11) Egregia sane sunt, quae habet Sanchez, ex quibus discere est, quam multa sint, quae sedula indigent consideratione, ut quaestiones, in hac re tam multiplices et variae, rite definiantur. Distinctis itaque tum iis, quae solum ad malum deservire possunt, tum iis, quorum usus est ad bonum ac malum indifferens, de hisce ita disserit (*In Decal.* lib. 1. c. 7. n. 12.): *Non eadem causa erit semper sufficiens ad horum indifferentium ministrationem excusandam. Ratio colligitur ex dictis. Nam cum obligatio illam vitandi consurgat ex obligatione virtutis, cui peccatum illud proximi, cui ea occasio datur, opponitur, et obligatio omnium virtutum non sit aequalis, sed quaedam alia magis obliget; nec occasiones sint pares, quia*

*quaedam sunt magis indifferentes et remotius se habent ad malum abusum, quaedam autem proximius ad illum accedunt, et maiorem in se malitiam continent; insuper nec praeparatio abusuri ad malum usum est semper aequalis, sed aliquando magis, aliquando minus paratus est; nec spes, fore ut ipse desistat a pravo abusu, est semper aequalis me non ministrante: ideo non semper aequalis causa erit proportionata ad hanc ministrationem excusandam, sed quandoque maior, quandoque minor necessaria erit. Quare nulla certa quantitatis huius causae regula praescribi potest, sed ea prudentis arbitrio remittenda est. Quo autem id arbitrium prudens sit, debet attendere, tanto maiorem causam requiri, quanto peccatum, ad quod illa ministratio occasionem dat, est gravius; et quanto proximius attingit illud, seu de se est magis ad malum determinata; et quanto certior est effectus peccati; et quanto probabilius est, fore ut id peccatum impediatur, hoc non ministrante. Itaque summopere observandum est, urgentiorem causam desiderari, quae suppeditantem haec indifferentia excuset, quando abusus est contra iustitiam, et talem, quae merito praeferrí possit damno alterius. Et ratio est, quia maiori vinculo tenetur quis peccata alterius, quae sunt contra iustitiam, vitare, quam quae contra solam charitatem. Quippe in illis innocens invitus damnum patitur; in his autem solus peccans detrimentum spirituale patitur, idque propria voluntate. Quod idem detrimentum spirituale subit,*

3<sup>o</sup> Licet vendere carnes diebus abstinentiae et tempore Quadragesimae, quia venditor de rationibus ementium iudicare nequit nec pertinet ad ipsum de illis inquirere. — Lacroix, n. 258.

4<sup>o</sup> Non licet vendere venenum, nisi moraliter constet, emptorem illo bene usurum, v. gr. ad confectionem colorum, medicinae, etc...; quia maxima sequeretur pernicietas generis humani, si hoc promiscue liceret. — Vogler, n. 316.

#### IV. Quoad caupones.

255. Quaesita. — QUAER. 1<sup>o</sup> An liceat cauponibus dare vinum iis, qui praevidentur se inebriaturi?

Resp. Non licet sine gravi ratione, ut patet. Licet autem ob metum gravis alicuius damni, v. gr. saevitiarum, rixarum, etc...; quia Charitas non obligat, ut alterum a peccato avertamus cum gravi incommodo. Item ad praecavendas blasphemias, quae sunt graviora mala. — S. Lig. n. 69. — Billuart, de Scandalo, art. 6.

QUAER. 2<sup>o</sup> An liceat cauponibus dare carnes diebus prohibitis?

Resp. 1<sup>o</sup> Non licet proprio motu sine ratione sufficienti, seu nisi metus damni gravis urgeat.

2<sup>o</sup> Licet vero communiter, quando carnes petuntur, nisi petitio fiat in contemptum Religionis; ratio, quia difficilius esset inquirere de rationibus cuiusque petentis. — Bouvier, de praec. Ecclesiae, c. 3. art. 5. — Gousset, n. 303.

3<sup>o</sup> Imo licet generatim cauponibus, apud quos divertunt rhedae publicae, mensam cibis licitis et illicitis struere; quia cum constet, plerosque carnes esse petituros, non videtur necessarium a singulis petere quid velint. — Gousset, ibid.

256. — QUAER. 3<sup>o</sup> Quomodo agendum cum cauponibus, qui choreas in aedibus admittunt, ut plures alliciant hospites?

Resp. Generatim ab hoc avertendi sunt, in quantum fieri potest; quia choreae, praesertim quae in cauponis habentur, plerumque minus honeste fiunt, et multis peccatis occasionem praebent. Attamen non semper iis neganda esset absolutio, sed spectandae sunt circumstantiae et modus ordinarius, quo istae choreae fiunt.

quando peccat contra iustitiam. Atque ita bene Azor, lib. 8. tom. 1. c. 22. q. 6., et cap. 24. q. 14. censet esse causam iustam vendendi indifferentia, quae non ex se proxime attingunt

malum usum, et quando ille non est contra iustitiam, iacturam, quam quis patitur, si res suas, quas venales habet, minime vendat.

QUAER. 4<sup>o</sup> An liceat dominis hospitiorum, quae vulgo CAFÉS dicuntur, quaevis folia publica hospitibus legenda proponere?

Resp. 1<sup>o</sup> Non possuntmittere ea, quae evidenter et ordinarie sunt Religioni et bonis moribus adversa etiamsi hospites ad ipsos confluere propterea desinant.

Resp. 2<sup>o</sup> Possuntmittere ea omnia, quae de rebus mere politicis tractant (12). Nec videntur teneri ad reiiciendum folium aliquod, eo quod interdum aliquid minus rectum, ratione habita Fidei, contineat, modo generatim Religioni non adversetur (\*).

(12) Subintellige, nisi ipsa de rebus politicis tractatio bonis moribus adverse- tur; quod sane contingeret, si falsa atque adeo noxia principia aut palam propugna- rentur, aut subinferrentur callide, vel si legitima cuiusvis impugnarentur iura, vel populi ad odia, inobedientiam, etc. exci- tantur.

(\*) Iuvat haec alia addere de coopera- tione ad actus sociales in nostris regio- nibus. Quaesitum est, « an liceat dare suffragia ad componenda Consilia et Mu- nicipales repraesentativas personas insti- tuendas et an electi possint officio fungi Consilarii et Magistratus Municipalis ». Respondit s. Poenit. 10. Decemb. 1860. « Dummodo Municipales non adigantur ad ea, quae adversantur legibus divinis et ecclesiasticis et se absteineant a praestando iuramento iuxta formam a Gubernio inva- sore propositam, posse tolerari ».

Item: « an retineri et suscipi possint sub intruso Gubernio officia ». Respondit eadem s. Poenit. eodem die. « Dummodo non agatur de officiis, quae directe et proxime influunt in spoliis vel in eius- dem spoliis manutentionem et exerceri pos- sint absque periculo laesionis legum divi- narum et ecclesiasticarum, posse tolerari: in praxi vero quilibet ex dictis officialibus aut personis ditionis pontificiae, qui pa- ratus sit stare mandatis s. Sedis, caute moneatur, ut consulat Episcopum seu loci Ordinarium, qui in singulis casibus decer- net iuxta mentem SS. Domini ».

Habes ad duplicem quaestionem an li- ceat, duplex responsum: posse tolerari: manifeste significatur tamen, rem esse li- citam.

Cum quaereretur sub Pio IX. f. m. an liceret adire politicas urnas, responsum fuit a s. Poenitentiaria: non expedire, nuper vero ss. Pater Leo XIII. audita sen- tentia Cardinalium Inquisitorum genera- lium, declarari iussit, « quod Non expe- dire prohibitionem importat ». Ita testatus est litteris ad Episcopos Italiae datis Car- dinalis Raphael Monaco 30. Jul. 1886.

Casum proponit cl. Gallo (Suppetiae Evangelii praeconibus etc. V. 1. p. 187.) fideles nempe, qui inter ethnicos versan- tur, ne cogantur operam suam superstitio- nibus dare, pactionem ineunt cum homi- nibus ethnicis, ut ipsi loco suo ea opera exsequantur, pollicentes se vicissim pro ethnicis alia indifferentia praestituros. Iam vero cum nunquam liceat alios ad malum inducere, multoque minus obligare; malum autem sit superstitioni operam dare; patet hoc pactum illicitum esse.

At si pactum eo tantum spectet, ut fidelibus liceat ab opere superstitioso ab- stinere, praestituro loco eius aliud indif- ferens: pactum, quod de re bona est, pro- fecto licet et in hac hypothese s. C. P. F. anno 1841. ad Vic. Apost. Tunk. Occid. respondit: fideles non esse inquietandos.

Id et apud nos usuvenire potest. Finge iudicem qui praevideat causam aliquam iuxta leges iniquas esse a se indicandam,

hic, ne contra conscientiam suam agere cogatur, paciscitur cum alio iudice minus de honestate sollicito, ut hic loco sui ius dicat, ipse vicissim pro eo alia vice ius dicturus. Patet id non licere, neque licere illum simpliciter rogare, ut in causa ea iniusta ius dicere velit; quia res mala est, quae petitur.

Verum si obiectum pacti vel petitionis huiusmodi sit, ut abstrahi possit a malitia illius particularis iudicii, quod tantum permittatur, tunc profecto iusta existente causa pactio et rogatio licebit.

Certe licet iudici rogare superiorem ut ab eo onere iudicandi ea vice eximatur: etsi enim alii in locum eius sint successuri, id non illius deprecationi sed eorum malae voluntati erit tribuendum, qui potuissent similiter illud officium deprecari. Cf. Lehmkuhl vol. 4. n. 662.

Ceterum, ut bene uterque Auctor advertit, si qui faciunt id, quod diximus non licere, sint in bona fide, et monitio nihil sit profutura, nec scandalo sit locus, boni consulet Confessarius eos in bona fide relinquere.

## TRACTATUS DE PRAECEPTIS DECALOGI

Sicut Symbolum epitome est credendorum, ita Decalogus agendorum. Comprehendit enim decem praecepta a Deo in monte Sinai Moysi tradita, in quibus omnia hominis officia, quae naturalis lex praescribit, plus minusve aperte continentur. Tria priora Deum immediate respiciunt, caetera ad proximum referuntur.

### DE I. DECALOGI PRAECEPTO

*Ego sum Dominus Deus tuus...: non habebis Deos alienos. Exod. 20. 2.*

Hoc praeceptum, qua affirmativum, praescribit in primis actus Religionis, quibus Divinitati debitus cultus tribuitur; qua negativum prohibet vitia Religioni opposita.

### CAPUT I.

#### DE ACTIBUS VIRTUTIS RELIGIONIS.

Actus praecipui Religionis sunt adoratio, oratio, sacrificium, votum, iuramentum, et sanctificatio quorundam dierum... De tribus ultimis dicetur in 2<sup>o</sup> et 5<sup>o</sup> praecepto. De sacrificio, in Tract. de *Eucharistia*. Hic igitur tantum de adoratione et oratione.

#### ARTICULUS I. — DE ADORATIONE.

237. — Adoratio *latius* sumpta est cultus alicui exhibitus ob eius dignitatem, seu est actus quo quis propriam subiectionem alteri exhibet in testificationem ipsius excellentiae. Sic dicuntur aliquo modo adorari Principes et alii in dignitate constituti; item qui ab aliis specialiter diliguntur.

Adoratio vero *strictius* sumpta est honor Deo exhibitus propter summam eius excellentiam, supremumque dominium.

Hinc distinguitur cultus 1<sup>o</sup> *Latriae*, qui soli Deo exhiberi potest ob supremum eius dominium in omnes creaturas.